



Sammelband G.

Nr.

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.
- 6.
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.
- 11.
- 12.
- 13.
- 14.
- 15.
- 16.
- 17.
- 18.
- 19.
- 20.
- 21.



7
98

DEO TRIUNO ANNUENTE
DISPUTATIONEM JURIDICAM
PRIMAM
DE
NUNDINIS
SOLENNIBUS.

Sub Præsidio
DN. JOHANNIS FRIDERICI
RHETII

J. U. D. Antecessoris in hâc Viadrinâ Acade-
mia, & h. t. Rectoris omni observantiâ
prosequendi

publicè ventilandam exhibet
BARTHOLOMÆUS Eckhardt.
Berol: March: A. & R.

Ad diem 30. Septembr.
In Jctorum Auditorio horis
disputatoriis consvetis.

FRANCOFURTI AD ODERAM
Typis SALOMONIS EICHORNII,
ANNO M. DC. LXI.

DEO TRINITY ANNI
DISPUTATIONEM JURIDICAM
PUBLICAM

IN
SOLENNIBUS

Sub Praesidio
DN. JOHANNIS FRIDERICI
RHEITII
J. U. C. Professoris in theologiae Acad.
et Rectoris universitatis
prosequendi

publice defendenda exhibet
BARTHOLOMAEUS GERSHOFER
Bachschlager A. & R.

Ad diem 30. Septembris
In Hortum Auditorio horti
disputationis celebrabitur

FRANKFURTY AD ODERAM
Typis SALOMONIS BUCHHOLZI
ANNO M. DC. LXXI.





I. N. 7.

Helix instrumentum societatis
servandæ commercium est, quo,
quæ orbis universi sunt, quæli-
bet terrarum regio acquirere va-
let. Natura Rerum quidem quæ omnium
usui sufficerent produxit affatim, sed cuiq;
regioni peculiare suum præ cæteris conces-
sit, ut acquirendi modos hominum indu-
striæ relinqueret. Si singulis orbis partibus
indigenæ fructus sufficerent, tot Gentium
foedera & Populorū affinitates non nume-
raremus; quibus cessantibus societates, ali-
cubi decrementū sentientes, ægrè restaura-
rentur, omnisq; Gentium juris deficeret ra-
tio; Jam alter altero ut indigeamus Natura
voluit, quo amicitias coleremus fidelius. Et
merito! sterilis commercii Regio non mo-
do opum expers sed & homines inculti ple-
rumq;

A 2

rumq;



rumq; sunt; Græci primo & Romani postea, quibus nosmet ingenii culturam debemus, ignobiles fortè hæerent adhuc, si commercii usum neglexissent. Non ab iis tantum quos patria communis junxit solida prudentia hauritur, sed ex variis uti lingua ita indole & rationis usu diversis addiscendam esse experientia docet. Nullus quippe humani genii affectus est qui non aliquem terrarum locum præcipua religione invaserit. Cum dotibus quidem exterarum Regiones etiam vitia invehere solent, sed usus hominum vitio ortum abusum, superat facilè. Pensitaverè id dudum rerum principes, & præcipuè ob mercium acquirendarum facilitatem commodioribus imperii sui urbibus singulare jus tribuerunt, ut stato tempore cuivis gentium, nisi hosti, eo quicquid mercium exterarum sit importare & venum exponere fas sit. Hanc justo tempore vendendi facultatem nundinarum nomine loqvendi usus effert; de quarum Natura pauca quædam in modum Acad-

cademicæ dissertationis, quantum ætas &
ingenii vires permittunt, proponere con-
stitui; Et sit ita cum DEO

THES. I.

Vocabuli ambiguitatem exponam pri-
mò, ne rerum postea naufragium faciam:
Nundinas quasi contracto vocabulo no-
vendinas dicunt, à novem sc: & dies. Con-
sueverant quippe Romani cum Tiberim
suum supremum fermè limitem haberent
adhuc, octo diebus agriculturæ operam da-
re, nono vero ceu ex recepto solenni die ur-
bem accedere, eoq; vel legum curam vel
mercium habere. Quo tempore oriundæ
fuerint Antiquitatum scriptores variant.
Sed prout Nundinarum frequentandarum
non unus modus fuit, ita pro diverso re-
spectu originem Romulo, Serv: Tullio &
exactis Regibus ætati debent; quod ex Ma-
crobio & aliis probat *Rosinus lib. 4. Antiqui-
tat. Roman. c. VI. v. Quarti generis feri.*

A 3

THES.

THES. II,

Variae hinc nundinarum acceptiones sunt, pro feriis fuerunt cum Jovi sacrae essent, desierunt esse, cum ruricolis in urbem euntibus quo legum virtutem noscerent, vel de rebus sibi necessariis prospicerent, fervirent. Num vero vox haec epulas denotaverit ex linguae Romanae indole non satis liquet. *In l. 69. ff. pro Socio.* Ulpianus quidem eas ita efferre videtur, dicendo: *Cum societas ad emendum coi-retur & conveniret ut unus reliquis nundinas i. e. epulas prestaret eosque a negotio dimitteret, si eas non solverit & pro socio & ex vendito cum eo agendum est.* Sed brevitatis hic obscuritatem involvit, & sicuti sensus integer legis pluribus Dd: adhuc dubius est, ita de acceptione vocabuli pro epulis dubitatur merito. *Cujacius lib. 4. obs. c. 17.* Sensum legis ita exponit: *Cum societas ad emendum coi-retur & conveniret, ut unus reliquis nundinarias epulas prestaret, eosque ad negotium di-*
mitte-

mitteret, tunc si non prestaret epulas, pro socio actionem sociis dari, venditori ex empto etiam, quasi qui prestare debuisset epulas, emere, ceu socius, mandasset. Sed Rationi fortè satisfacit, non æquè tamen intentioni Ulpiani, is quippe non in vel ad negotium dimittere dicit, sed à negotio dimittere; quæ idiomatici Romano semper diversa fuere: Fusius legem hanc tractatione explicare operæ pretium mihi non videtur; dum de vocabuli Nundinarum ambiguitate ago. Nundinas vel propriè vel impropriè sumi putarim, impropriè vel metonymicè, pro omni eo quod in nundinis fit, vel ad eas pertinet, ut in d. L. 69. pro Socio & aliis. Vel propriè, aut LL. Romanis & pro jure quo certo tempore rusticis in civitate vel vendendi vel emendi potestas fuit. L. 2. ff. de Nundinis. & ita majores & minores æquè propriè nundinæ dicuntur. Limnæus in additam: ad lib. 4. c. 8. n. 311. Aut usu pro mercatibus solennibus, in quibus, à Principe vel qui supremam Reipubl. proe-

potestatem gerit concessa facultate cuius
gentium excepto hoste emere & vendere
fas sit, de quibus in præsentis disputatio-
ne exponam.

THESES. III.

Describo eas, quod sint mercatus à su-
premo Reipublica Principe in certis quibus-
dam Civitatibus ob commodiorem commercio-
rum usum constituti, ut stato tempore ibi cuius
Gentium vendere & emere fas sit. Genus mer-
catus dico propius enim non reperi. Mer-
catus dicitur jus omne quod in quibus-
dam locis vendendi ultro citroq; jus tri-
buit: adeò ut procul dubio mercatus vo-
cabulum laxius pateat quàm nundinarum
& sic generis vice fungi possit. *Follerus ad*
Marant. in speculo p. 4. dist. 9. n. 51. Nec
in l. un. C. de Nundinis Mercatus & Nun-
dinarum vox *synonymum* est: Hoc tan-
tum ibi dicitur quod mercatum & Nun-
dinarum in quibusdam idem jus sit, non
vero

vero quod æquè late pateant, quod esse deberet si mercatus & Nundinarum vocabulum ibi synonymum esse possent.

THES. IV.

Differentiam specificam à causa efficiente, forma & fine desumpsi. Causam efficientem Reipubl. Principem vel qui ibi majestatis jura exercet pono. Nam Gentium jure quidem primæyo cuiq; hominum libera negotiandi potestas est *Decian. volum. 4. consil. 44. n. 118*, Gentium verò secundario jure commerciorum usus restringendus fuit, quo essent qui agriculturæ studerent, vel operas in civitate exercerent, ut mercatores haberent quod cum lucro vel permutarent vel venderent, si omnes mercaturam exercerent ultra mercaturæ institutæ fundamentum foret *David Mevius in commentar. ad jus Lübecense. lib. 3. tit. 6. art. 21. n. 21*. Hinc imprimis solennes nundinas concedere.

B

cede-

cedere supremæ majestatis reservatum factum, tam Romanorum jure, pr. l. 1. ff. *Et i. un. C. de Nundinis, ubi d. l. 1. Nundinis à Principe impetratis* ibiq; Dd. communiter; quam imperii constitutionibus novissimis: *Recessu Imperii de Anno 1576. §. dadurch denn &c. Reinking de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 5. c. 8. n. 156.* & quidem quod Imperator sine ordinum & statuum consensu easdem concedere possit. *VVehner. obs. pract. vocab. M. ff.* Ita enim Reservata Imperatoris explicari solent, quod nempe majestatis jura sint, quæ Imperator Romano-Germanicus liberæ suæ dispositioni reservavit *Job. H. Stam. de Reservat. Imperat. §. 2. n. ult.*

THES. V.

Nec interest num coronatus sit nunnon, sicuti enim Imperator ante coronationem alià Reservata & Regalia Imperatoria exercere, ita quoq; sine dubio nundinas

dinas solennes impertire valet. *arg. cap. 11. A. B. §. Et quia de antiqua &c.* Ibiq; dicitur antequam aliquid agat omnia privilegia Electorum confirmet; post confirmationem itaq; licet nondum coronatus, Imperii actus exercebit: *plurib. vid. Coring. de Imperator. Roman. German. c. 13, Carpzov. ad L, Reg. c. 2. sect. 9.* Imperio vacante num Vicarii ordinarii, universales nundinas locis certis impertire queant? dubitare solent, praesertim quod vix exemplum ubi deficiente Imperatore vicarii tales nundinas concesserint occurrit, verum uti praeterquam aliàs inde nulla consequentia manat: tempore eo hoc jure nemo fuit usus, itaq; defecit; omnia Vicariis Imperii nisi speciatim in A. B. excepta, licere arbitror cum *Limn. de Jure publico. Lib. 8. c. 1. n. 38.* de concedendarum vero nundinarum potestate A. B. nullam exceptionem continet.

THES. VI.

Cum igitur Nundinarum solennium
 jus ad reservata uti supra probatum Im-
 peratoris pertinet, num præscriptione ac-
 quiri valeret? dubium maximè est, qui
 enim quod Imperatori soli solenne est,
 privatorum usum capax esse valeret?
*arg. l. 6. in fin. C. de præscript. 30. vel 40. An-
 nor. Modest. Pist. volum. 1. consil. 4. n. 28.*
 Sed unius generis hæc omnia non sunt,
 quædam enim eorum ita Principis maje-
 statem afficiunt, ut nullo modo ab ea-
 dem divelli possint, sed in superioritatis
 signum eidem cohæreant unice *Joh.
 Herm. Stam. de Servitut. personal. lib. 1. c.
 4. n. 6. Roland. à Valle volum. 2. consil. 1. n.
 97.* & hæc præscriptione à nullo quo-
 quam acquiri valent, cum Principis vel
 Reipublicæ autoritas eo violaretur. *Her-
 mann. Stam. d. l. n. 11.* Quædam vero in-
 ter reservata quidem Imperatoris sunt,
 attamen superioritatis jus non concer-
 nunt

nunt immediatè, sed ad fisci jura perti-
nere dicuntur, hæc immemoriali præ-
scriptione àb alio acquiri posse nullus du-
bitò cum *Ahasvero Fritzkio in Gymnaf-
mat. Jurid. de Regal. nund. jure c. 4. th. 8.*
Nam habet præscriptio hæc constitutio-
nis imperialis & legis vim *Schurff. cent. 3.*
consil. 45. n. 4. Menoch. de præsumpt. casu
31. n. 44. Imò in contrarium probatio si
100. anni præcesserint non admittitur,
dum pro tali præscriptione præsumitur
semper *Mynsig. lib. 1. obs. 39. Bach. ad*
Treutl. volum. 2. disp. 22. th. 5. lit. A. & B.
satis tituli quippe & fidei bonæ talis tem-
poris decursus habet. *arg. l. 3. §. 4. ff. de a-*
qua quotidiana.

THES. VII.

Dè præscriptione ea propter nundī-
narum solennium minus dubito, cum ip-
se Imperator *in l. un. versu: Veterum in-*
dulto aut nostra autoritate hoc asserere vi-

B 3

dea-

deatur; Quid indulgere magis denotare posset, quam tempore cuius memoria non extat liberum alicui cuiusdam rei usum concedere; Et sic hoc jus nundinarū sine dubio immemoriali temporis præscriptione acquiretur; præter patrocinium vero dictæ præscriptionis vel expressæ concessionis imperatoriæ vim, nemini sibi solennes nundinas asserere fas est *Petrus Peck de jure sistendi c. 10. n. 5. Caspar Klock de contribut. c. 3. n. 7.* Controversiam eam num cum præscriptione dicta scientia Cæsarea concurrere debeat, num solus temporis immemorialis decursus sufficiat? inanem æstimo, nam si solum immemoriale tempus pro titulo est, uti in præcedentibus expositum, quorsum scientia expressa cæsarea desiderabitur; imò præsumitur eadem ex tanti temporis libero usu. *arg. d. l. 3. §. 4. ff. aqua quotidiana.* Nec Imperator in allegata *L. un. C. de nundinis Veterum* indultum & autorita-

ritatem suam conjungit, sed disjungit, adeò ut alterum sufficiat. Ac in genere de aliis quoq; id sufficere statuit *Maul. de Homagio. tit. 10. n. 14.*

THES. VIII.

Coeterum ut revertar, si Imperator quibusdam urbibus nundinarum jus concessurus sit, omnes circumjacentes requirere & num eorum intersit percipere, necessarium non est, siquidem & Imperatoris autoritatem læderet & variis litibus suppeditaret ansam; Satis erit si penitus in alterius injuriam non conceduntur. *Limn. in additam. lib. 4 c. 8. n. 311.* An Imperii Principibus in territoriis suis libera particularium nundinarum instituendarum potestas sit, licet aliis detrimento esse possint? hujus loci quidem disquirere non est, dum de solennibus nundinis ago, puto tamen eos neutiquam prohiberi posse dum jure suo utuntur. *arg. l. 24 §. final.*

final. ff. de damno insecto. Licet per consequentiam extranei damnum sentiant. l. si in meo. ff. de aqua pluvi. arcend. Caspar Klock. Tom. 3. consil. 131. n. 19.

THES. IX.

Concesso vero hoc privilegio semel sine justa causa auferri iterum nequit. *arg. l. quod semel ff. de decretis ab ordi. faciend. præsertim si ob merita, vel ex causa onerosa civitati cuidam indulta sint, quæ enim ob merita indulgentur irrevocabilia facta esse reputantur. l. Fundi. C. de Fundis patrimonial. Pruckmann. volum. 1. consil. 39. n. 51. Quando vero ob dationem vel factum quid conceditur in contractum irrevocabiliter transire solet, per ea, quæ tradit Bartolus ad L. qui se patris n. 13. C. unde liberi; dixi verò sine justa causa, nam si Reipublicæ necessitas imperet, v. g. ut Imperio succurri non valeret nisi per ablationem juris tertii Bursatus consil.*

fil. 16. n. 73. & 76. omninò revocari posset
quale exemplum recenset *Leuber. in Dis.*
quis. plan. Stap. Sax. n. 1655. perinde cum
per delictum publicum se ea urbs quæ
Nundinarum solennium jure fruitur, pri-
vilegio ob delictum grave faciat indignum
Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 6. n. 38. Quomodo
olim Carolus IV. Imperator Electo Gun-
tero Comite Schvartzenburgico Franco-
furtensibus ad Mœnum hoc jus ademisse
& Moguntiam transtulisse notat *Peucer.*
in Cron. Carion. lib. 5. Si verò ad bene placi-
tum, auf Wolgefallen concessisset Princeps,
num morte concedentis extinguatur? du-
bitant plurimi propter. *l. 4. ff. locati. l. 41. §.*
pen. ff. de legat. 3. Sed nec ita morte ce-
dentis extingui ut à successore revocari
possit verius est. *Gail. lib. 2. obs. 60. n. 16. ver-*
su: sed usu observ. Baro ab Enenck. de privileg.
lib. 3. c. 2. n. 9.

C

THES.

THES. X.

Num, si Civitas aliqua à venientibus ad
nundinas insolita & intolerabilia onera
exigat, prævia causæ cognitione privilegio
suo à superiore, qui concessit jus, privari
possit? Nullus dubito *propter l. 4. in fin. C.
de commerc. Novell. 8. c. 3.* Quomodo enim
is legis vel Principis beneficio dignus, qui
eo temere abutitur. *cap. 11. qv. 3. c. 24. X. de
privileg.* Imò videndum semper ne sub pri-
vilegii prætextu publica utilitas detrimen-
tum sentiat. *l. 2. C. de privileg. Scholar.*

THES. XI.

Coeterum quomodo constituentur
nundinæ, quæ forma earundem sit,
& adjuncta videndum restat. Quæ itidem
sinè dubio à Principis volūtate dependent,
itā enim temporis respectu variis in locis
annales bimestres trimestres numerantur,
vel mercium importandarū ratione tantum
sunt

sunt restrictæ uti olim apud Belgas obser-
vatum testatur. *Crantzius in Saxon. lib. 11.*
ex Jul. Cesare. lib. 1. de Bello Gall. quod exo-
ticas merces non receperint. Imò in qui-
busdam locis non quosvis admittant, ve-
rum regulariter nisi exceptio probari pos-
sit, quosvis admitti verius est; unde quæ-
runt. Dd. num Principes iis qui in ditio-
nibus & territoriis suis Judæos non tole-
rant, tempore nundinarum publicarum
admittere teneantur? Quod neutiquam
negarim nam in *Recess. Imper. de Anno 1551.*
S. diesem zubegegnen uti & Reform. politica de
Anno 1577. tit. von Juden und ihren Wucher.
expressè Judæis, in nundinis publicis Im-
perii, commerciorum jus conceditur. Prin-
cipes verò Imperii, nisi, antequam pro-
mulgatæ, expresse sibi quid reservaverint,
communibus Imperii legibus se non exi-
munt. *add. Dieterich. discurs. de jure &*
Statu jud. in Repub. Christ. c. 3. & seq.

C 1

THES.



THES. XII.

Quicumq; igitur privatorum mutare vellet, quod in privilegiis hisce statutum gravissimam poenam incurreret, sicuti enim nemini tempora constituta Nundinarum mutare licitum *Matth. Steph. de Jurisdic. lib. 2. c. 1. membr. 2. n. 100.* Ita quoq; quosdam liberis istis nundinis prohibere injuriosum foret. Qu: autem an Magistratus oppidanus certi cujusdam Civitatis, jure retorsionis alterius alicujus Civitatis cives prohibere valeat, quod non ad Nundinas statas venum merces suas exponant? Magistratum quidem circa res vendendas disponere posse, ut & justii pretii & æstimationis, vendendas nullus dubito, sed quæ Imperator concessit specialiter. v. g. quod unicuiq; libera & emendi & vendendi in Nundinis publicis facultas, nisi hostis habeatur, competat, particularis civitas mutare non valebit crederẽ ego quod civitas talis privilegio se exueret, vel qui prohibere-

beretur taliter injuriarum agere posset optimè; facino, rosos enim tacitè demum hoc privilegio excludi Dd. autumant, quod ad eos privilegium non pertineat. *l. 3. ff. de Off. Presidis.* uti in specie de relegatis tradit *Carpzov. ad constit. Elect. defm. 30. n. 4.*

THES. XIII.

Alias privilegia nundinatoribus varia constituta sunt, præsertim quod nundinarum tempore prætextu debiti nec conveniri nec detineri possint. *l. un. C. de Nund.* Quod generale tam quoad personas quam res est, *Coler. de Process. execut. p. 2. c. 3. n. 156.* Sed procul dubio privilegium mercatoribus tantum non aliis emendi gratia venientibus concessum erit, ita in *l. un. C. de Nundinis* dicitur ex negotiatorum mercibus, ut sic mercium ad vendendum expositio non impediatur, ubicunq; jam ratio cessat ibi quoq; ipsum jus. *l. 6. §. quamvis ff. de jure patron.* Adeoq; alii qui emendi gratia

ria accesserunt exceptis mercatoribus debi-
tores suos convenire neutiquam impe-
diuntur quod de Saxon: jure dubii minus
habet *per ea quæ Carpz. tradit. in j p. F. def.*
1. Quis verò mercator præcipuè dici pos-
sit explicat *Foller. in add. ad marant p. 4. dist.*
9 n. 59. quæ tamen requisita in talem mer-
catorem qui hoc privilegio frui debeat,
non omnia necessaria cadere debere autu-
mo, quia indistinctè dicitur *in d. l. un. C. de*
Nund. de iis qui merces exercent.

THES. XIV.

Qv. tamen num' mercatores pro de-
bitis nundinarum tempore, nam de iis an-
te nundinas contractis parum dubitatur,
detineri possint? Negandum puto, cum
lex nullam distinctionem addiderit, alias
quidem unusquisq; in loco contractus
conveniri valet. *l. 19. §. 2. arg. l. 2. §. 4. & l.*
25. ff. de Judiciis. nisi privilegium speciale
conveniendum eximat. *Bachov. in not. ad*
VVesen.

*Vvesenb. n. 2. qualiter h. l. sapius d. l. un. in
nostro casu fecit: Illud carere dubio reor
neminē mercaturam exercentem ad Nun-
dinas profecturum in alio loco, sine quo ad
Nundinas forte perveniri nequiret. v. g.
in portu, suburbio &c. arrestari posse, cum
hæc cuncta pars loci nundinarum sint. arg.
cap. si Civitas de sent. Et excom. in bto. Petrus
Peck. de jure sistend. c. 10. n. 4.*

THES. XV.

Si vero dē bancorupto vel fuga suspe-
ctus sit, modo suspicio vel causa ejusdem
summariè doceri possit. *Trentl. volum 1. di-
sput. 5. th. 2. lit. B.* arrestum decerni usu fre-
quens est, cum contra debitorem fugiti-
vum etsi clericus sit privilegia cessent. *Gail.
lib. 2. obs. 44.*

THES. XVI.

Perinde uti privilegiis nundinarum non
gaudet, qui contractus tempore eisdem
renun-

renunciationem verò hoc in easu licitam
esse. *l. 41 ff. de Min. & l. 38. ff. de pactis* docet,
nec si quis huic privilegio pro se introdu-
cto renunciat primario publicum favorem
lædit *Petrus Peck. d. l. c. 12. n. 12.* Interim ju-
ratum debitum eum eo in quo quis expres-
sè privilegio renunciavit, æqualem effe-
ctum non habet, nam renunciations sunt
stricti juris, adeò ut nisi de iis disponatur
expressè, non præsumantur. *l. 57. §. Lucius
ff. de pactis.* Imò vulgare est, juramentum
sequi tantum naturam actus cui apponi-
tur. *arg. l. final. ff. qui satisd. coguntur. c. 13.
extra de Cler. non resid. Frantz. k. lib. 2.
resol. 6. n. 12.* Jam appositum juramentum
tantum ad firmandam obligationem tendit,
non ad renunciationem alicujus beneficii, nisi
in specie eidem adjungatur, ideoq; nec hinc re-
nunciationem indigetabit? Hæc quoad prio-
rem disputationem de solennibus Nundinis
sufficiant; in posteriori de adjunctis earum
dem, stapulae Jure, itemq; Fine &
effectu agam.

COROL

COROLLARIA.

1.
Utrum compensatio minuat obligationem ipso jure? An ope exceptionis seu factio hominis? Aff. prius.

2.
An debitum litigiosum compensari possit? Aff.

3.
An qui juravit se soluturum nihilominus compensare valeat? Aff.

4.
Si aliquis nomen vel actionem vilius quam in se est vendidit; Quæro, utrum ab emptore actio ista solum ad concurrentem pretii, quo vendita est, quantitatem? An ad totam debiti summam exigere possit? Aff. posterio, sed certo respectu.

5.
An donatio remuneratoria facta benemerenti postea propter ingratitude[m] revocari possit? Neg.

6.
An cujusdam ex L. Cornel. de Sicar. vel ex alio crimine quod poenam capitalem irrogat, accusati, convicti, damnati & animadversi cadaver, cognatis ad sepulturam illud abducturis sit denegandum? Aff. Nisi fuerit petitum ac permisum a Principe.

D

7. Utrum

7.
Utrum Judicibus permissum sit Cadavera pu-
nitorū concedere Medicis ad anatomiam? Aff.

8.
An damnatus crimine stellionatus sit Infa-
mis? Neg.

9.
Legitimati per sublequens matrimonium in
feudum succedere non possunt.

10.
Quid dicendum de procreato a parentibus,
qui sponsalia quidem iniere, sed propter mortē
alterutrius, sponsi sc: vel sponsæ, solenni copu-
latione ac benedictione sacerdotali nuptias non
celebrarunt; anne iste in feudo succedet? Aff.

11.
Eodem modo quoq; nati ex parentibus, quorum ambo,
vel alter per errorem bona fide contraxere nuptias, quæ
minus contrahendæ fuissent, pro legitimis habentur, pu-
ta si putaverit maritus uxorem mortuam esse. Nam hoc
calu filii ex tali matrimonio pronati pro justis & legiti-
mis habentur, adeoq; in feudis succedunt.

12.
Qualis nam computatio graduum in successione feu-
dali ineunda? An Canonica? an Civilis?
R. Civilis.

F I N I S.

Eckhardus veluti coepit, sic pergere tenter;
Et Phœbi solidas ipſus habebit opes.

*Amico & Commensali ſuo
paucis applaudab.*

Joachimus Decher, D. Codic.

Justin. & Placitorum Feudal. Pro-
feſſ. publ. juxtimq; Reipubl. Fran-
cofurtanæ Conſul.

Nichtes wil ohn' ſaure Sorg wol glücken/
Nichtes wil ſich ohne Arbeit ſchicken.
Sih/der Kaufman ſparet nimmer Koſten/
Reiſet/läuft/in Weſten/Nord und Oſten/
Läſſet unbeſuchet keinon Plak/
Sindet des bellebten Geldes Schak.
Die gekauft-verkauſte Bücher-Wahren
Können ſelten in der Ruh' verjahren/
Können wir nicht frembder Länder Gaben/
Allemahl zu feilem Kauffe haben?
Was nur iſt im Jahrmarkt aller Welt/
Iſt ja feil um Kaufmans Echacher Geld.
So mein Freund/nun muſ dir alles glücken/
Sich zu deinem Wuſch mit Vortheil ſchicken.
Deines Fleiſſes Feilen ſchwere Koſten/
öfnen die beliebten Ehren-Pfoſten/
Weil dein ſelbſt erwehltter Schak/
Iſt der Kunſt und flugen Tugend Plak.
Deine eing' kramte Feder-Wahren/
Müſſen ſich mit Lob und Ruhm verpaaren/
Deines

Deines klug-geübten Sinnes Gaben
Können hier der Musen Jahrmarkt laben/
Was der Kayser hat im Recht gefellt/
sei dein Jahrmarkt bei der Folge Welt.

Also schrieb seinem vertrauten Freunde
glückwünschend

Johan Probst von Her-
ford aus Westfalen.

Die Übung frommer Wort und eitler Sinnen Zucht
Giebt sattfam zuverstehn daß dir die Kastalinnen/
Was Göttliches geschenkt / dardurch des Himmels Zinnen
Nach deinem Lobe stehn / diß ist der Weißheit Frucht/
Der was der Geist bedenkt und was die Hand versuche
Daß muß die Lorber-Kron nach so viel Müh gewinnen /
Und so wirst du auch wol dem Erden Staub entrinnen/
Weil du bey rechter Zeit der Götter Troß gepucht.

Dieses wenige setzet seinem hochwehrttem
und vertrautem Freunde glückwün-
schend hinzu

Adolph Bilthuedt / von Biels-
feldt aus Westfalen.

Du sollt verewig't stehn / weil durch geübten Fleiß
Dein Lob uns wird bekand / die Pallas krönt dich schon/
Die Themis die hat Dich erwehlt zu ihrem Sohn;
Der Maja Frucht rufft aus daß alle Welt es weiß/
Was Du von Märkten schreibst / und was der Kauffman bringt.
Durch der Bellonen Heer / durch Amphitriten Feld/
Das er von seinem Lohn zu Kauffen hat gestellt:
Drumb ziert Dich Daphnenslaub / weil dirs so wol gelingt.

Also schrieb / seinem hochwehrtten Brüd-
erlichen Freunde glückwünschend

Matthias Ulrich Pflüaer /
von Crottorff aus Halberstad.

00A 6297

ULB Halle 3
002 927 276



56, f

VD 17

Retro







7
17
18
19

98

NE
IDICAM

NIS
BUS.

DERICI

rinà Acades
rvantiâ

hibet
Eckhardt.

horis

is.

DERAM
ORNI,